


OJ
INTER·FOLIA·FRVCTV

PUBLICUM EXAMEN

IN

SCHOLA NEOBRANDENBURGENSI

DIEBUS XXV. XXVI. XXVII. MENSIS SEPTEMBRIS MDCCCXXXVII

INSTITUENDUM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INDICUNT

RECTOR ET COLLEGAE.

INSUNT:

1) Commentatio de tragoediarum Graecarum membris ex verbis Aristotelis (de arte poëtica cp. XII.) recte constituendis. Scripsit F. A. F. Waldaestel, Prorector.
2) Annales scholae.

NEOBRANDENBURGI
TYPIS EXSCRIPSIT CAROLUS HOEPFNER.

Graecos poëtas tragicos qui penitus cognoscere studuerit, eum non fugiet, quantis ea res difficultatibus obstructa sit. Etsi enim cum alii, artis criticae et grammaticae periti, tum Hermannus, quae est ejus viri sagacitas, ita eos recensuerunt et emendarunt, ut in textu quidem constituendo laudabile saltem studium positum sit et opera, tamen alia supersunt haud pauca, quae aut obiter sunt tractata aut prorsus neglecta. Duplicis autem ea sunt generis. Alterum est interpretum alterum et editorum et interpretum. Illuc pertinent quaestiones de Graecorum scena scenicoque apparatu, de chori incessu, de dispositione, de saltatione, de cantu et de modis musicis, perdifficiles quidem eae propter testium penuriam, at dignae quae majore cum cura et studio, quam hucusque factum est, pertractentur; huc spectant melior, quam in nostris libris est, versuum numerorumque constitutio, et ea, quam nobis tractandam proposuimus, quaestio de singulis tragoediarum membris. Ad hanc ut ceteris omissis animum attendamus, monet nos tota, qualis in editionibus invenitur, tragoediarum forma et species. Aut enim singulae fabulae ab initio usque ad finem decurrunt perpetuae, aut in scenas, quae dicuntur, sunt divisae, quibus novarum personarum adventus indicetur. Quae ratio quantum absit, ut Graecorum poëtarum mori conveniat, ex iis liquet, quae habet Aristoteles in libro de arte poëtica cp. XII. Is enim, quemadmodum de argumento tragoediarum exposuerat, quomodo ipsa fabula componenda sit, ita de forma, quas in partes singulae tragoediae dispertiendae sint, illo loco legem praecipit. Quam legem si non solum ab interpretibus, verum etiam ab editoribus retineri volumus, ut tragoediarum apud Graecos componendarum ratio appareat, quoque facilior sit fabularum conspectus, quid aliud postulamus, nisi quod cuique scriptori vindicandum est, ut

ejus, quod ipse secutus est, consilium observetur et ante oculos ponatur? Sensit quidem hoc nuper editor Aeschyli Eumenidum K. O. Muellerus, falsus est tamen vir doctissimus cum in aliis, tum in parodo constituenda. Quae quum ita sint, operae pretium videtur hunc locum iterum in quaestionem vocare et ita retractare, ut ea lex reperiatur, qua non unius alteriusve, sed omnium, quae supersunt, tragoediarum partes definiri et stabiliri possint. Neque tamen ea res non est dubia et impedita, propterea quod omni fere veterum de hac re testimonio destituti sumus, et verba Aristotelis, ad quem unum refugiendum est, et brevitate et obscuritate laborant. Quodsi nobis in animo est, quae in hac literarum solitudine pro viribus nostris et facultate cogitando effecerimus, cum viris doctis communicare, non tam id spectamus, ut rem absolvamus, quam ut nonnulla, delineata magis quam copiose explanata, in medium proferamus, quae alii, si placuerit, examinare et in rem suam possint convertere.

Aristotelis (de arte poëtica cp. XII.) locus, quo disputatio nostra nititur, est hic: *κατὰ τὸ πόσον, καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται (τραγῳδία) κεχωρισμένα, τάδε ἐστί. πρόλογος, ἐπεισόδιον, ἔξοδος, χορικόν. καὶ τούτου τὸ μὲν πάροδος, τὸ δὲ στάσιμον. κοινὰ μὲν οὖν ἁπάντων ταῦτα. ἴδια δὲ τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς, καὶ κόμμοι. ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου. ἐπεισόδιον δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας, τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν. ἔξοδος δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας, μεθ᾽ ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος. χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ. στάσιμον δὲ μέλος χοροῦ, τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου. κόμμος δὲ θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς.* Quibus ex verbis si singulas partes ita definire volueris, ut in omnes fabulas quadrent, jam statim offendes in prologo constituendo, quem philosophus explicat: integram tragoediae partem ante parodum [1]). Non enim tam de loco, qui varius est et incertus, quam de natura et indole prologi est quaerendum. Quem quum in eum usum inventum esse appareat, ut tragoediae tamquam prolusio esset, qua instructa fabula agenda facilius rectiusque a spectatoribus perspiceretur,

---

1) cf. vita Aristoph. p. XIV. Kuest. *πρόλογος τὸ μέχρι τῆς εἰσόδου τοῦ χοροῦ μέρος.*

eum morem antiquitus obtinuisse pro certo habemus, ut interposito chori ingredientis carmine prologus ab ipsa actione diligenter sejungeretur, id quod in Aeschylo et Sophocle videmus plerumque factum esse, at postea poëtas tragicos paullatim ab illo more recessisse. Nam in nonnullis tragoediis ubi parodus sero invenitur, prima actionis pars (episodion I.) prologo ita est adnexa, ut aut canticum brevius, aut nova persona, aut denique nihil nisi diversa argumenti ratio intercedat. Enimvero falli eos, qui Aristotelis verba arctius tenentes prologi natura prorsus neglecta finem ejus ubivis ad parodi initium extendant, Euripides testis est gravissimus. In Sophocle enim et Aeschylo quum prologi tanta arte comparati sint, ut leniter in ipsam fabulam transducamur, Euripides contra a vulgatis et tritis recedens, ut mythos suo arbitrio mutatos spectatores edoceret, prologum ab ipsa actione distincte separavit *). Quodsi exempli causa in Helena v. 67 prologum finiri apparet, quis finem ejus usque ad versum 1116 proferat, ubi demum parodus capit initium, nec videat, v. 68 — 1116 primam actionis partem continere? Fit etiam nonnunquam, ut chorus ipse vel ejus coryphaeus prologum faciat. (v. Aeschyl. Pers. et Supplic. et Euripid. Rhes.)

Altera pars est episodion, quod est tragoediae pars integra inter duo integra carmina chorica. Atque haec carmina quidem, quae *ὅλα χορικά* nominantur, sunt parodus et stasima, iis canticis opposita, quae aut ab histrionibus aut a choro et histrionibus invicem cantata per se integram partem non efficiunt. Continent igitur episodia, quae plura in quaque fabula sunt, totam tragoediae actionem prologo et exodo exceptis, capite ejus et fine. De nomine, quoniam ea pars tragoediae dicitur episodion, quae ex omnibus longe maxima est et gravissima, id tantum tenendum est, ortum illud esse ex natura et conditione tragoediae antiquae. Quum enim primo chorus ageret solus, postea quoque, histrione addito, qui jocosa et sine arte composita ad animos spectatorum hilarandos insereret, chorica carmina multo praestantiora videbantur, Ac quamquam paullatim res ita mutata est, ut adhibita fabula justa et arti-

*) cf. Thom. Mag. in vita Euripidis: *τό τε γὰρ ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος τὴν ὑπόθεσιν διατυποῦν καὶ τὸν ἀκροατὴν ὥσπερ χειραγωγεῖν εἰς τὸ ἔμπροσθεν Εὐριπίδου τέχνημα.* Quamquam in quibusdam fabulis (Iphig. Aul. et Rhes.) veterum tragicorum exemplum imitatus est.

ficiose connexa histrionum ars et praestantia augeretur, chori minueretur, nomen tamen actioni mansit.

Tertia pars, cujus Aristoteles mentionem facit, est exodus, quae dicitur integra tragoediae pars, post quam non invenitur choricum carmen (integrum). Oritur autem in exodo constituenda eadem difficultas atque in prologo. Nam uti hunc nonnunquam cum primo episodio sic colligatum reperimus, ut nihil nisi diversa argumenti ratio inter utrumque intersit, ita exodum quoque carmine non interjecto ultimo episodio arctius adjungi posse, est, quod recte augureris. Cujus rei dijudicatio et ipsa ex vi et natura exodi est petenda. Quum enim prologus exordium sit tragoediae, per singula episodia actio distribuatur et nodus fabulae nectatur, jam exodo inest nodi solutio (cf. Arist. de arte poët. cp. 18: *ἔστι δὲ πάσης τραγῳδίας, τὸ μὲν δέσις τὸ δὲ λύσις.* etc. *λέγω δὲ δέσιν μὲν εἶναι τὴν ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τούτου τοῦ μέρους ὃ ἔσχατόν ἐστιν ἐξ οὗ μεταβαίνει εἰς δυστυχίαν ἢ εἰς εὐτυχίαν. λύσιν δὲ τὴν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς μεταβάσεως μέχρι τέλους*). Atque intererat interdum poëtarum contortae rerum implicationi subito facere discrimen (cf. Soph. Phil.). Efficit vero exodus, ut nostras tragoedias cum Graecis comparemus, ultimum, quem dicunt, actum, quum prologus primum, *) et episodia ceteros actus conforment, quibus integra chori carmina sunt interposita.

Jam transimus ad melica tragoediae membra, quae Aristoteles communi nomine *χορικόν* vocat.

Id primum in duas partes dividitur, easque praestantissimas, in parodum et stasimon, eo potissimum a ceteris canticis distincta, quod sunt *κοινὰ ἁπάντων*; i. e. quod ab omnibus choreutis canuntur, sequentibus verbis oppositis: *ἴδια τινῶν*, quae sunt cantica singulorum, aut histrionum, aut choreutarum invicem cum histrione.

Maximam difficultatem objicit parodi constitutio, quam philosophus explicat *πρώτην λέξιν ὅλου χοροῦ*. Qua in re id animadvertendum ducimus, *λέξιν* strictiore sensu dictum esse pro: *μέλος* vel *ᾠδήν* (cf. schol. ad Eurip.

---

*) Nil tamen repugno, si quis hanc comparationem in Euripidis tragoedias cadere eam ob causam neget, quod prologus apud eum non ad ipsam fabulae naturam pertinere, sed prooemii instar actioni praemitti soleat.

Phoen. v. 210), et quia canebatur parodus, quippe quae contineatur χορικῷ, et propter verba statim sequentia ὅλον χόρον, quod choreutas simul omnes locutos esse, ab omni verisimilitudine abhorret. Vix enim dubium, quin his ipsis vocibus ὅλου χοροῦ ad illud κοινὰ ἁπάντων respiciatur et parodus totius chori concentui tribuatur, nisi quis forte mirae G. C. W. Schneideri opinioni accedere malit censentis (in libro: das attische Theaterwesen p. 203), quod chorus orchestram ingressus in semichoros discedere soleret, id illis verbis inesse: parodum a choro integro nondum in duas partes diviso cantatam esse. Jam sic comparatas esse parodos consentaneum est, ut neque forma neque argumento cantici singularis speciem prae se ferant. Quare, ut unum afferamus, sententias id generis respuent, quae chori contineant dubitationem, dissentionem, trepidationem, quaeque alia sunt, ex quibus carminis distributione in singulas choreutarum voces opus videatur [4]), neque ea metrorum genera (ut systemata ἐξ ὁμοίων) admittent, que constat integri chori cantui minus convenire. His constitutis facile apparebit, absonum esse eorum judicium, qui statuant, a primis quibusque chori (orchestram ingredientis) verbis incipere parodum. Haud raro enim ea demum multis aliis canticis praemissis deprehenditur. Cujus rei exemplum certissimum est in Soph. Oed Col. v. 669 sqq. (cf. Plut. an seni etc. cp. 3). Illa vero cantica, quae parodo praecedunt, quum cantus singularis indicia habeant manifesta, pro natura sua actioni sunt adtribuenda, itaque partem efficiunt prologi aut primi episodii. Neque enim hac in re scholiastarum testimoniis fides est habenda, qui, ubicunque hujus rei mentionem faciunt, id carmen constanter vocant parodum, quod ab ingredienti choro sit cantatum (cf. schol. ad Eur. Orest. v. 1110, ad Eur. Phoen. 210, et hypoth. ad Aesch. Eum.). Quin etiam locum Plutarchi in Lysandro cp. 15, quo carmen Eur. Elect. v. 167 sqq. nominatur parodus, rejiciendum puto quia neque alteri testimonio ejusdem scriptoris (an seni cp. 3) convenit, et Aristotelis verbis videtur repugnare. Facile autem est intellectu, unde perversae illae de parodo opiniones sint exortae, et quo factum sit, ut vera ejus notio obscuraretur. Quum enim id carmen a chori per orchestram transitu, qui et ipse dicitur πάροδος, nomen acceperit, inde hoc idem, quod supra commemoravimus, conjicere licet, antiquos poëtas tragicos solitos fuisse prologo finito chorum plenis vocibus canentem inducere, quo luculentius primum episodion a prologo sejungeretur, sicut stasimis

[4]) cf. F. Bamberger: de carminibus Aeschyleis a partibus chori cantatis.

distinentur singula episodia; deinde vero, postquam poetae liberius artem tragicam tractare coeperint, id eos sibi concessisse, ut statim ab initio ita chorum actionis participem facerent, ut aut histrionum instar in scena conspiceretur (Aeschyl. Eum. et Soph Oed. Col. *), aut cum actoribus in vicem caneret, aut etiam colloqueretur (Eur. Heraclid.). Ejusmodi loci uti in mediis tragoediis nullo modo pro stasimis sunt habendi, sed tamquam partes actionis, cui natura sunt simillimi, forma tantum dissimiles, episodiis comprehenduntur, ita in principio nihil habent cum integris tragoediae partibus commune. Jam perspicuum est, quo factum sit, ut parodi locus commutaretur, nomen vero usu sancitum primo cujusque tragoediae carmini a toto choro cantato permaneret, atque illi, qui nescii originem solam hujus vocis spectarent, incedentis chori carmina (vel etiam paucos versus) parodum esse fidenter arbitrarentur. Hoc ipsum aperte dicit schol. ad Eur. Phoen. v. 210. his verbis: *πάροδος δέ ἐστιν ᾠδὴ χοροῦ βαδίζοντος ᾀδομένη ἅμα τῇ ἐξόδῳ (ἐςόδῳ?).* Quid autem de iis tragoediis, quibus nullum omnino chori ingredientis indicium inest, a principio choreutis exadversus scenam cum histrionibus alterno cantu vel colloquio agentibus, aut solo coryphaeo anapaestis verba faciente? Simili vitio laborant, quae legimus in hypothesi ad Aeschyli Persas: *τῶν δὲ χορῶν τὰ μὲν παροδικὰ, ὡς ὅτε λέγει, δι' ἣν αἰτίαν πάρεστιν, ὡς τὸ Τύριον οἶδμα λιποῦσα* etc. (Eur. Phoen. 210), accommodata quidem ea ad hanc tragoediam paucasque alias (Iphig. Aul. v. 164), plerisque tamen prorsus aliena. Verba denique, quae scholiastes non contemnendus habet ad Sophocl. Elect. v. 120: *ἡ πάροδός ἐστι χοροῦ γυναικῶν*, vereor ne potius de ipso mulierum ingressu, quam de carmine sint intelligenda. (cf. schol. ad Aristoph. equit. v. 247.). Sed convertamus nos ad alia, quae de parodo observavimus. Id primum memoratu est dignum, quod saepissime et in capite et in fine parodorum breviora aut longiora inveniantur systemata anapaestica, quae non modo plenis vocibus, sed ne cantui quidem convenire nemo est qui neget. Cui rei, ne alia

---

*) Quin enim hac in fabula chorus, quippe cui ea via, quam Coloneus monstraverat, esset veniendum, in scena apparuerit (v. 117) vix potest dubitari. Eo minus parodus (ut Schneiderus l. c. pag. 206 statuit) a. v. 117 locum habere potest, quum id carmen a choro non nisi per orchestram ingredienti cantatum sit.

repetam (v. Herm. recens. de C. O. Mülleri Eum. opusc. Vol. VI. pag. 143), vel inde videtur argumentum peti posse, quod, si eos anapaestos, qui in capite quarundam tragoediarum sub chori nomine sunt positi, plenis vocibus decantatos esse, itaque parodo contineri statueremus, illae tragoediae carerent prologo. (cf. Aeschyl. Pers.). Quare ubi systemata anapaestica cum aliis numeris ad cantum aptis ita sunt conjuncta, ut iis aut praecedant, aut eos sequantur, illa ab his sejungenda sunt. Quae ratio etiam aliunde satis probatur. Breviora enim systemata, quae parodis et stasimis, saepius etiam aliis canticis minoribus sunt adjecta, et forma transitum melicae partis ad diverbium efficiunt aptissimum, quum iis insit solemnitas trimetro major, minor variorum numerorum compositione, et argumento sequentem actionis partem apte praeparant haud raro ita ut voce ἀλλά (cf. Sept. c. Theb. 861, Pers. 140) ab antecedenti chori carmine disjungantur, et plerumque novae personae adventum indicent, quo spectatorum animi in scenam avertantur. (cf. anap. in fine parodi Pers., stasimi II. Agamem., stas. III. Sept. c. Theb., commi episodii IV. Antig.). Cui usui rarius inservit trimeter. (cf. Aeschyl. Agam. 285. Soph. Oed. Col. 1096.). Ex his si jure systemata illa a chori carminibus separavisse nobis videmur, cavendum tamen est, ne hanc rationem in ea transferamus, quae nonnunquam intra parodi fines inveniuntur (cf. parod. Soph. Antig.). Nam haec, quum singulis carminis strophis ita sint innexa, ut quasi in unum cum iis coalescant, neque sententiarum, quas continent, ratione a ceteris ostendant dissimilitudinem, et forma et argumento ab illis sunt diversissima. Adhibita autem ea a poetis verisimile est, ut chori saltationi decoro incessu pulchra adderetur varietas, id nobis concedentibus, quod probabiliter demonstratum est (v. Böckh. in comment. de Antig. lit. acad. Berol. ann. 1828 pg. 51), anapaestos ab incedenti choro solitos fuisse pronuntiari. Alterum, quod animadvertendum est, parodo et stasimo est commune. Quamquam enim utriusque carminum generis indicium in eo positum est gravissimum, ut totius chori concentui conveniant, tamen nonnulla carmina inveniuntur, inprimis apud Aeschylum, quae huic legi repugnare videantur. Quae res ut recte dijudicari possit, ad diversum poetarum tragicorum morem erit respiciendum. Aeschylus enim, qui duos histriones inducendo et chorica parte diminuta diverbio majus pondus afferendo (cf. Aristot. de art. poët. c.4), cultu et exornatione scenae, arte musica et saltatoria tam bene de arte tragica meruit, ut ejus pater apud Athenienses haberetur (v. Philostr. vit. Apollon. ed.

Olear. p. 244), tamen antiquae tragoediae aetate sua propior, quum chorum in legitimos fines coërcere nesciret, carmina eximia longitudine composuit, chorum saepius ad actorum vices sustinendas admisit, nonnunquam etiam primas partes ei tribuit. Unde fit, ut in tragoediis Aeschyleis plura quam alibi carmina a partibus chori cantata reperiantur. Sophocles contra, qui chori usum arctioribus finibus circumscripsit, nullo fere hujus generis carmine usus est Oedipo Coloneo excepto. In Euripide denique, qui ut in aliis ita in hac re Aeschyli exemplum secutus est, non desunt illiusmodi carmina, at inconcinna ea neque certam legem sequentia. Est autem, ut ad consilium nostrum revertamur, inter ea carmina discrimen satis apertum. Alia enim affinitatem suam cum parodis aut stasimis demonstrant, quod argumento sunt consimilia, et sola forma ex antiquae tragoediae consuetudine servata eam ob causam inter singulos pluresve choreutas videntur distributa esse, ne solita vocum variarum vicissitudo et delectatio periret. Cujus rei exemplum exstat in Aeschyli Persis, ubi a solius coryphaei recitatione anapaestis prologum facientis in parodo sequenti paullatim quasi per gradus ad concentum totius chori transitur (cf. Herm. elem. doct. metr. pag. 729). Alterum ejus rei indicium positum est in stropharum compositione. Carmina enim a partibus chori cantata, quae totius chori concentui antistrophae vel epodi forma sunt adjecta, ne divellamus vetat nos metrorum ac stropharum conglutinatio (cf. Herm. de duab. recens. K. O. Muelleri in Jahn. annal. vol. VI. fasc. 3.). Alia contra carmina ejus generis, quae ita comparata sunt, ut ad fabulae connexum sint necessaria, et cantus pro diverbio, chorus pro actoribus substitutus videatur, longe diversa sunt a parodis et stasimis, a quibus, etiamsi statim sequantur, divellantur necesse est. (cf. Aesch. Hiket. v. 825. sqq.). Quae ratio nonnunquam comprobatur numeris diversi generis interpositis. Sic, ut unum exemplum afferamus, in Sept. c. Theb. stasimo III. v. 860. finito coryphaei anapaesti subjunguntur, quibus quum Antigonae et Ismenae adventus indicetur jam ad actionem pergi apparet. Consequitur carmen chori sororum calamitatem miserantis, quod et propter numerorum et argumenti a stasimo diversitatem ad exodum transferendum esse judicamus. —

Alterum *τοῦ χορικοῦ* genus maxime insigne sunt **stasima**, quae in iis, quae ad nos pervenerunt, tragoediis perraro binis pauciora, numquam plura quaternis reperiuntur. Quae vero carmina habenda sint

stasima parodo constituta haud difficile est judicare. Neglectis in praesentia Aristotelis verbis subobscuris ad stasimi locum stabiliendum teneamus: carmen esse a toto choro cantatum duobus episodiis aut ultimo episodio et exodo interpositum. Forma autem facile cognoscitur et quod majorem habere solet ambitum, et quod strophica ejus compositio certam legem sequitur, ita ut stropham sua statim excipiat antistropha, iisque plerumque adjiciatur epodus (cf. Herm. elem. doctr. metric. pg. 725 sqq.). Quod vero ad argumentum attinet, ad modum hymnorum stasima sunt sententiarum gravitate insignia, Deorum heroumve laudes efferunt, mortalium bene facta collaudant, male facta improbant, ad id variorum mythorum ornamentis tantopere gaudent tantamque habent verborum et cantus sublimitatem, ut lyricae poëseos fastigium assequi videantur. Huc accedit, quod ad totam tragoediarum oeconomiam, et ad partes actionis recte disponendas sunt necessaria. Nam quum actio, dum chorus canit, in scena intermittatur, at pone eam continuari simuletur, ei maxime usui stasima inserviunt, ut quadam actionis parte spectatorum oculis subducta aliquantum temporis interea praeteriisse videatur. Quo fit, ut inter canendum scena vacua esse, et stasimo finito novae personae produci soleant. Illud ubi a poëtis neglectum est, actor, qui in scena remanet, spectatoris vice fungens expers est cum choro canenti consociationis (cf. Soph. Oed. Col.), nisi forte actor et chorus tamquam una persona unam partem agunt, quod bis factum esse animadvertimus (Stas. III. Aesch. Eum. et stas. II. Soph. Philoct.). — Jam eo perventum est, ut de nomine ipso stasimi unde ortum sit, et de Aristotelis interpretatione: *μέλος χοϱοῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τϱοχαίου* quid judicemus, paucis disseramus. Novum inde inter parodum et stasimon discrimen nos effecturos speramus, idque maximum: illud carmen a saltante hoc a stante choro decantatum esse. Nam quamquam a choro firma in orchestra statione occupata stasimon recitatum esse indeque nomen traxisse omnes consentiunt, in eo tamen viri docti dissentiunt, quod alii (in quibus Kolster de parabasi pg. 9. sqq. et Mueller. Eum. pg. 95.) argutius quam verius disputantes integrum quidem chorum loco non cessisse, singulos vero choreutas stationes inter se permutasse opinantur; alii (ut Boeckhius in comm. de Antig. l. c. pg. 51.) nullum omnino choreutarum a locis discessum admittunt. Nos certissimis argumentis ducti non possumus quin eorum sententiam complectamur, qui saltationem in stasimis fuisse negent. Nomen enim quin inde stasima

2

ceperint, quod stando sint cantata, quis dubitabit, qui hujus vocis originem, scholiastarum gregem, aliorum denique auctorum graviorum de ea re testimonia inspexerit! Scholiastarum locos: ad Eur. Hecub. 647, ad Phoen. 210, ad Arist. Vesp. 270, ad Ran. 1307. et hypoth. ad Aesch. Pers. pravae interpretationi patentes (cf. Kolster l. c. pg. 12.) ut missos faciamus, prae ceteris vir doctissimus audiendus est, qui scholion ad Soph. Trach. v. 205. scripsit, quo nihil apertius, hoc: *τὸ μελιδάριον οὐκ ἔστι στάσιμον, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ὀρχοῦνται.* Conferenda sunt cum iis, quae Hesychius habet s. v. *στάσιμον· τὸ μέλος τοῦ χοροῦ. ὅταν γὰρ ὁ χορὸς μετὰ τὴν πάροδον διατίθηταί τι μένων ἀκίνητος πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἂν εἰκότως στάσιμον λέγοιτο*, et Etymologic. magn. s. v. *προσῴδιον: ἰστέον ὅτι τῶν μελῶν καὶ τῶν ὕμνων τὰ μὲν καλεῖται προσῴδια, τὰ δὲ ὑπορχήματα, τὰ δὲ στάσιμα. καὶ προσῴδια μὲν, τὰ λεγόμενα ᾄσματα εἰςφερομένων εἰς τὸν βωμὸν τῶν ἱερείων παρὰ τὸ προσιόντων εἰς τὸν βωμὸν τῶν θυμάτων ταῦτα λέγειν. ὑπορχήματα δὲ ἅτινα πάλιν ἔλεγον ὀρχούμενοι καὶ τρέχοντες κύκλῳ τοῦ βωμοῦ καιομένων τῶν ἱερείων. στάσιμον δὲ, ἃ ἑστῶτες ὕστερον ἔλεγον, ἀναπαυόμενοι μετὰ τὸ κύκλῳ δραμεῖν τοῦ βωμοῦ.* En omnia carminum genera quae in tragoediam translata locum obtinent principem. *Προσῴδιον* enim et *ὑπόρχημα* chori incessui et saltationi respondent, quae in parodo sunt conspicua, *στάσιμα* reliqua sunt carmina majora, quae stans canit chorus. In hoc scriptorum variorum consensu mirum foret, si Aristoteles proprium illud stasimi indicium atque gravissimum ne uno quidem verbo tetigisset. Cujus verba quum ex metrorum ratione sint petita, magnum scrupulum interpretibus injecerunt. Hermannus quidem (in edit. art. poet.) a perpetuitate *στάσιμον* dictum esse existimans, quia non interrumpatur interpositis anapaestis vel trochaeis, verum a toto choro uti incipiat, ita ad finem perducatur, vereor ne ipse sibi diffidat altera nuper proposita explicatione (opusc. Vol. VI. P. II. pg. 161.) nihilo probabiliore: stasimon id esse carmen, quod neque veniens neque decedens, sed dum in orchestra permaneat, canat chorus. Muellero contra philosophi verba sic interpretanti, ut anapaestica et trochaica systemata stasimis inesse neget, id quidem largior, sed ultra ei progrediendum erat, ne sibi repugnare videretur dicens (l. c. pg. 97.), stasimi Eumenidum primi (quod falso secundum vocat) trochaeos rhythmum esse principem. At, ne longi simus, id primum erat spectandum, philosophum illo loco magna breviloquentia usum non a minutis rebus stasimi indicium petere

potuisse, sed a vulgatis et manifestis. Quare, licet verba illa per se nihil significent nisi stasima anapaestica vel trochaica systemata *) aspernari, tamen, quod contra nonnunquam factum videmus, in eo non erat acquiescendum, sed altius res repetenda. Quid autem inveniri potest aut simplicius aut aptius, quam ut de metrorum vi et natura, quam ἦθος Graeci vocant, cogitemus, cujus majorem alius numerus non accepit constantiam et nobilitatem anapaesto et trochaeo? Quis enim non meminerit, Laconum et Messeniorum embateria anapaestico rhythmo fuisse conscripta, atque eundem numerum in ipsis tragoediis choro incedente adhibitum? Quis dubitet trochaicum rhythmum ad saltandum esse aptissimum, quum hodieque prae ceteris huic usui inserviat, et ab Aristotele ipso in eodem libro cp. XXV. dicatur ὀρχηστικός. Quare, nisi omnia nos fallunt, id subest Aristotelis verbis: stasimon esse carmen sine incessu et saltatione. Conspirantibus igitur veterum scriptorum testimoniis eodem sponte ducimur stasimorum argumentum respicientes, cui, ad hymnorum exemplum tantum inest gravitatis et tranquillitatis, ut non nisi statario choro conveniat. At, unus alterve adversariorum (cf. Kolster l. c. pg. 11.) objiciat, in strophas et antistrophas stasima sunt disposita, quas a choro dextrorsum et sinistrorsum saltanti decantatas esse testatur schol. ad Eur. Hecub. 647: *ἰστέον μὲν ὅτι τὴν μὲν στροφὴν κινούμενοι πρὸς τὰ δεξιὰ οἱ χορευταὶ ᾖδον, τὴν δὲ ἀντίστροφον πρὸς τὰ ἀριστερὰ, τὴν δὲ ἐπῳδὸν ἱστάμενοι ᾖδον.* (cf. schol. ad Hephaest. pg. 94.). Quae si vera essent, quid, quaeso, de prosodiis statuendum, quae et ipsa antistrophice composita a proficiscentibus in templa Deorum canebantur? Nunquam profecto chorus, quum ei antistropham canenti eo esset redeundum, unde strophae initio erat profectus, ad templa pervenisset. Aut quid de parodis, quae totae sunt antistrophicae (cf. Eur. Herc. fur. a. v. 107, et Iphig. Aul. a. v. 164.)? An vero chorus parodum in foribus orchestrae saltavit, et per totam tragoediam in aditu constitit? Alterum, quod majore jure nobis opponi possit, cantum apud Graecos cum saltatione tam arcto vinculo conjunctum fuisse, ut ille sine hac ne cogitari quidem possit, libenter concedimus, quoniam apud Graecos ars saltatoria non solum varias totius corporis positiones, sed etiam gesticulationes et manuum motus *(χειρονομίαν)* amplectebatur. Quin etiam, ne prave, quae sen-

*) Id enim numero singulari *ἀναπαίστου καὶ τροχοίου* videtur inesse.

timus, intelligantur, id teneri volumus, non immobiles et stipitum instar choreutas in stasimis stetisse, sed, quo major cantui accederet gravitas et effectus, varios adhibuisse corporis et manuum motus. At, quum Graeci utrumque saltationis genus probe distinguerent (cf. Plato de lgg. VII. pg. 795 et Aristoph. Pax 323 sqq. χορεύειν et σχηματίζειν), eodem res redit, ut stantem chorum et firmum locum obtinentem stasima cecinisse arbitremur, in parodo autem gravi incessu, varia dispositione, ordinum evolutione, multiplici corporis agitatione saltatoriam chori artem excelluisse. Si quis in parodis saltantis chori indicia, qualia comoedia habet permulta, desideret, ad id animum attendat, tragicam saltationem, quam Graeci vocant ἐμμέλειαν, ex ipsius tragoediae natura fuisse gravem, temperatam, concinnam, venustam, decoram (cf. Plato de lgg. VII. Athen. XIV. 631 ed. Cas.); potuisse tamen eam multum variari, et tum maxime ad majorem concitationem procedere, ubi chorus actionis magis particeps factus animi perturbatione abreptus sit. Cujus rei egregium exemplum praebent Aeschyli Eumenides. Quae quum Orestem matricidio inquinatum et Athenas profugum consectantes supplicem ad Minervae simulacrum assecutae sint, minaces et ira succensae carmen canunt horrore plenum, ab ipsis ὕμνος δέσμιος dictum, cui vehementem furiarum saltationem, quasi Orestem vinculis essent adstricturae, adhibitam esse multa docent indicia (cf. Eur. Bacch. et Soph. Ajac. a v. 700. c. sch.). In quibusdam etiam tragoediis, ubi poëtarum intererat spectatorum gaudium ac spem intendere, sive ad excitandos, sive ad fallendos eos, praeter parodum alterum invenitur carmen stasimi loco insertum, quod a saltante choro cantatum esse ex forma et argumento facile conjici potest (cf. Soph. Aj. 693 sqq. Antig. 1115 sqq. et Trach. 205 c. schol.). Priusquam hac re defungar non possum, quin commemorem, sententiam nostram, semel in quaque tragoedia saltatum esse, mirifice eo comprobari, quod etiam comicus chorus quamvis mobilis et turbulentus eum morem secutus esse videtur, ut unam in singulis comoediis saltationem habuerit principem, compositam et arte excellentem. Nam quum poëtae comici id sibi sumant, ut quae in scena et in orchestra fiant vel facienda sint, verbis significent, facilior est apud eos hujus rei investigatio. Ne tamen in his diutius commoremur, locos tantum, ubi carmen saltatorium ex ipsis Aristophanis verbis deprehendatur, liceat enumerare: Vesp. v. 1527 sqq., Thesmoph. v. 946 sqq., Ran. v. 324 — 354 et deinde 385 sqq.,

Eccles. v. 1205 sqq., Av. v. 1722 sqq., Lysist. v. 1254 sqq., Plut. 290 sqq. Una Pax fabula duo ejusmodi carmina habet, v. 776 sqq. et v. 1334 sqq, maxima per totam fabulam laetitia choro perfruente. Patet ex his, inter comoediam et tragoediam hoc discrimen fuisse, ut in illa nunquam primo chori adventu vel concentu, sed modo in mediis fabulis, modo, quod primum in Vespis factum est [1]), sub finem saltatio facta sit. Haec autem ratio chorum saltantem educendi, in fabulis ante Vespas editis (in Acharn. Equit. et Nub.) neglecta, postea vero (in Av. Lysist. Eccles. Pac.) saepissime repetita magnopere, ni fallo r, comoediae naturae conveniebat, tragoediae prorsus repugnabat. In hac enim aptum visum est, ut initio actione nondum funesta chorus, tamquam ab omni animi sollicitudine vacuus, saltationem institueret; in illa, ut sub finem laetitiae ad summum auctae saltandi voluptas adderetur.

Progredimur ad reliqua cantica explicanda, quae Aristoteles vocat *ἴδια*, quippe non plenis vocibus, sed a singulis, aut ab actoribus de scena, — *ἀπὸ σκηνῆς* —, aut alterno cantu a chori partibus et actoribus — *κόμμοι* — decantata. Atque haec diversissima sunt a parodis et stasimis vel eo, quod non sunt integra tragoediae membra, sed actione comprehenduntur. Adhibentur autem, ubi admiratione, dubitatione, dolore, querelis, omni denique animi perturbatione aequo actionis progressu turbato, diverbii forma ad lyricam numerorum compositionem assurgit (cf. prae ceteris: Aeschyl. Suppl. 347 sqq. Soph. Trach. 837 sqq.). Itaque si ante parodum habent locum, prologi sunt partes aut primi episodii, si post ultimum stasimon, exodi, si alibi, episodiorum. Vides ex his perversam esse editorum rationem, qui in iis locis, ubi stasima commi antistrophici excipiunt, hos illis ita adjungunt, ut, quasi arctissime cohaereant, strophas secundum ordinem numerare pergant. cf. Soph. Antig. v. 806 sqq. et Philoct. v. 1201 sqq. Aristotelis verba quod attinet *κόμμον* explicantis *θρῆνον κοινὸν χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς*, quum pleraque quidem, at non omnia carmina, quibus actor et chorus alterno cantu sese excipiunt, communem de adversa fortuna querelam contineant, eatenus commi notionem ducimus amplificandam, ut omnino carminibus a choro et actore cantatis id nomen imponatur. Utrumque

[1]) cf. Vesp. v. 1536. *τοῦτο γὰρ οὐδείς πω πάρος δέδρακεν, ὀρχούμενον ὅστις ἀπήλλαξεν χορὸν τρυγῳδῶν.*

vero canticorum genus et commi et carmina *ἀπὸ σκηνῆς* insignia sunt metrica conformatione. Nam, ut maxima exsistat formae et argumenti congruentia, non solum amantia sunt dochmiorum (cf. Aesch. Choëph. v. 927. Suppl. v. 634. Eum. v. 138 sqq. etc.), qui quum propter temporum inconcinnitatem nomen acceperint (cf. Arist. Quint. p. 39. et Etym. magn. s. v. *δοχμιακός*), et iis insit *τὸ ταραχῶδες* (cf. Arist. Quint. pg. 98) et *τὸ θρηνῶδες* (cf. schol. ad Aesch. Sept. c. Theb. v. 165) ad vehementissimas quasque animi perturbationes sunt accommodati, verum etiam artificiosam habent stropharum compositionem (cf. Aristot. probl. XIX, 15. et Herm. praef. ad Eur. Herc. fur. pg. XII).

His absolutis quaestio oritur: sintne omnia carminum genera, quae in Graecis tragoediis reperiuntur, commemorata et tractata? Id erit negandum. Quatuor enim reliqua sunt, levioris quidem momenti, a ceteris tamen quodammodo diversa. Sunt autem 1) minora carmina ad totius chori concentum accommodata, neque tamen parodis aut stasimis adnumeranda (cf. Choeph. v. 152 sqq.). 2) Carmina et ipsa actione comprehensa, quae a singulis vel pluribus choreutis invicem canuntur (cf. Oed. Col. v. 117. sqq.). Tum id generis loci in quibus inter actorem et chorum ea intercedit consociatio, ut 3) chorus canat solus, actor deinceps anapaestis aut trimetris loquatur (cf. Aesch. Suppl. v. 246 sqq. Sept. c. Theb. v. 203 sqq.), aut 4) actor solus canat, chorus i. e. coryphaeus loquendo respondeat (cf. Aesch. Agam. v. 1072 sqq., Soph. Aj. 349 sqq.). Jam tertium et quartum genus apparet non posse commos haberi, quippe quae non contineant alterum cantum, ad quem unum spectant omnia genera *τοῦ χορικοῦ*. Quare ii loci, quibus chorus cum actore canenti loquendo agit, ad genus redeunt carminum *ἀπὸ σκηνῆς*, ac perinde sunt habendi, atque illi, ubi actoris sermo cantum actoris excipit cf. Soph. Elect. v. 1232 sqq.); quibus contra chori cantus est solius loquente actore, ii in primum aut alterum genus cadunt. Potest tamen utrumque genus in commi formam transire, ubi alterius utrius partis sermo in cantum convertitur (cf. Agam. 1072 sqq.). Reliqua genera duo, quibus minora chori carmina comprehenduntur a parodis et stasimis diversa, nominare liceat *κομματικά*, quod nomen ex veterum auctoritate (v. schol. ad Aesch. Eum. 139. et schol. ad Arist. de art. poët. c. 12. ed. Tyrwhitt.) ejusmodi canticis Muellerus (l. c. pg. 84) imposuit.

Harum rerum cognitio quantum ad alias quaestiones illustrandas afferat usum, ut uno exemplo demonstrem, monet me rei gravitas.

Quum enim diversis carminum generibus, quae modo exposuimus, diversa insit natura et indoles, non solum verba, rhythmum, melodiam, cantum, verum etiam modos musicos *) iis accommodatos esse constat. Quare, licet modi musici ex numerorum ratione potissimum cognoscantur, sponte tamen eo deducimur, ut carmina, quae a toto choro cantata ad veteris lyricae poëseos sublimitatem accedunt, stasima dico et parodos, ad modos quoque, quorum lyra Pindarica amantissima est, ad Dorium,

*) Nulla fere res majore obscuritatis caligine obducta est, quam modorum musicorum apud Graecos ratio. Optime de ea re disputavit Boeckhius (in libro suo de metris Pindari) quippe qui primus septem antiquos musicos consuluerit. Quum enim fere omnes nullum nisi gravitatis et acuminis discrimen inter varios modos obtinuisse crederent, neque tamen de permagna eorum vi dubitarent, Boeckhius in diversa intervallorum ratione maximum modorum musicorum discrimen positum esse recte judicavit (ex Euclide p. 15 sqq.). Quod judicium gaudeo me confirmare posse loco Athenaei (lib. XIV. pg. 625.) hoc: καταφρονητέον οὖν τῶν τὰς μὲν κατ᾽ εἶδος (intervallorum species) διαφορὰς οὐ δυναμένων θεωρεῖν ἐπακολουθούντων δὲ τῇ τῶν φθόγγων ὀξύτητι καὶ βαρύτητι κ. τ. λ. Miror tamen, quod nemo adhuc exposuit qui et quot modi musici apud poëtas tragicos in usu fuerint. Qua de re haec summatim addo. Paullatim quindecim Graecorum modos musicos inventos esse ex notis musicis ab Alypio memoriae proditis Boeckhius l. c. egregie explicavit. Omnium primi fuerunt Dorius, Phrygius, Lydius, quibus deinde adjecti sunt Jastius et Aeolius, tum Mixolydius, quem Sappho invenisse dicitur. Hi sex modi perdiu soli erant in usu. Ex ceteris multo post additis primi Hypolydius et Hypophrygius Damonem (cf. Plut. de mus. cp. 16.), Hypodorius Philoxenum habent auctores, eodemque fere tempore Hypoiastius et Hypoaeolius sunt inventi. Reliqui vero quatuor etiam serioris originis sunt. Jam si quaeritur, quosnam modos musicos poëtae tragici adhibuerint, Aeschylus non dubito quin sex tantum illis modis antiquis usus sit, et propter ejus aetatem, — obiit enim Aeschylus Ol. LXXXI, 1. Philoxenus secundum marm. Par. circa Ol. LXXXV. natus est — et quod antiquae lyricae poëseos erat amantissimus. Ne Sophoclem quidem, licet eo vivente modorum numerus ad XI auctus sit, — obiit enim Ol. XCIII, 2. — pro gravitate sua a vetere more recessisse persuasum habeo. Euripides vero, quem scimus secutum esse Timotheum Milesium, Philoxenum aliosque, qui tum temporis artem musicam depravarunt, novum et mollem ejus characterem excolentes τὸν φιλάνθρωπον et θεματικόν (cf. Plut. de mus. cp. 14.), et ceteri deinde poëtae tragici nescio an quinque illos recentiores modos paullatim induxerint. Ne autem hos quinque modos omnino a scenica musica excludamus, vetat nos Aristotelis locus probl. XIX, 49.

Lydium, Aeolium maxime propensa esse arbitremur [9]). Commis et carminibus ἀπὸ σκηνῆς, inprimis ubi numerus dochmiacus princeps est, Mixolydia harmonia acutissima, concitata et ad threnos apta (cf. Plut. de mus. cp. 16), maxime conveniebat. Cavendum tamen est, ne ad unam regulam omnia carmina redigamus. Quum enim prout affectus fluctuant, carminum tenor admodum sit variabilis, non solum sub stropharum finem saepius numeri et modus repente mutantur (cf. Herm. elem. doctr. metr. pg. 728), verum etiam tota carmina alienam induunt speciem. Cujus rei exemplum praebet Aesch. Eum. parodus, cui quin Phrygia harmonia, vehemens, bacchica, ad tibiarum cantum apta (cf. v. 332 ὕμνος ἀφόρμικτος), attemperata sit vix dubium esse potest (cf. Muell. l. c. pg. 92).

Addatur disputationi nostrae tragoediarum, quae supersunt, membrorum conspectus.

Primum perlustremus Aeschyli fabulas:

Prometheus.

Pars I, prologus, v. 1 — 127.
— II, parodus, v. 128 — 192 (interpos. Prom. anap.).
— III, episodion α', v. 193 — 396.
— IV, stasimon α', v. 397 — 435. [10])
— V, episodion β', v. 436 — 525.
— VI, stasimon β', v. 526 — 561.
— VII, episodion γ', v. 562 — 885 (continens carm. ἀπ. σκην. v. 567 — 588 et 594 — 609, c. anap. initialibus).
— VIII, stasimon γ', v. 886 — 905.
— IX, exodus, v. 906 — ad fin. (c. anap. finalibus).

---

9) Certissima carminum exempla, quibus Dorius modus sit attemperatus, sunt: Aesch. Prom. v. 526 sqq. ibid. 886 sqq. Eurip. Med. v. 411 sqq. ibid. 627 sqq. 820 sqq. et 972 sqq. (cf. Boeckh. de Pind. carm. critic. in comment. Acad. liter. Berol. ann. 1822 — 23.) Habent enim Doriam rhythmorum compositionem legitimam: graves dactylos et maxime trimetros, quibus dipodiae trochaicae ita sunt admixtae, ut alter pes raro admittat syllabam brevem, saepe cum anacrusi, perraro cum basi. Modus Aeolius amat leviores dactylos, multos jambicos et trochaicos ordines non sine solutionibus et basibus. Lydia harmonia subest choriamborum et glyconeorum systematibus (cf. parod. Antig.).

10) Cf. schol. ad Arist. Vesp. 270.

Septem c. Thebas.

Pars I, prologus, v. 1 — 77.
— II, parodus, v. 78 — 181.
— III, episodion α', v. 182 — 286 (cont. commat. v. 203 — 241 interpos. trimetr. actoris).
— IV, stasimon α', v. 287 — 368.
— V, episodion β', v. 369 — 719 (cont. commat. v. 417 — 421 et v. 452 — 456; v. 481 — 485 et v. 521 — 525; v. 563 — 567 et v. 626 — 630; v. 686 — 688 et v. 692 — 694; v. 698 — 701 et v. 705 — 708).
— VI, stasimon β', v. 720 — 791.
— VII, episodion γ', v. 792 — 821.
— VIII, stasimon γ', v. 832 — 860 (c. anap. init. v. 822 — 831 et anap. fin. v. 861 — 869).
— IX, exodus, v. 876 — ad fin. (cont. commat. v. 870 — 932; comm. v. 933 — 960; ἀπ. σκην. v. 961 — 1004. c. anap. fin.).

Persae.

Pars I, prologus, v. 1 — 72 (chori anap.).
— II, parodus, v. 73 — 149 (c. anap. fin. v. 150 — 154).
— III, episodion α', v. 155 — 531 (cont. commat. v. 256 — 289 interp. trim. actoris).
— IV, stasimon α', v. 548 — 597 (c. anap. init. v. 532 — 547).
— V, episodion β', v. 598 — 622.
— VI, stasimon β', v. 633 — 680 (c. anap. init. v. 623 — 632).
— VII, episodion γ', v. 681 — 851.
— VIII, stasimon γ', v. 852 — 908.
— IX, exodus, v. 909 ad fin. (est commos c. anap. praeced.).

Agamemnon.

Pars I, prologus, v. 1 — 103 (v. 40 — 103 chori anap.).
— II, parodus, v. 104 — 257.
— III, episodion α', v. 258 — 350.
— IV, stasimon α', v. 367 — 488 (c. anap. init. v. 351 — 366).
— V, episodion β', v. 489 — 680.
— VI, stasimon β', v. 681 — 782 (c. anap. fin. v. 783 — 809).
— VII, episodion γ', v. 810 — 974.
— VIII, stasimon γ', v. 975 — 1034.

— IX, exodus, v. 1035 — ad fin. (cont. ἀπ. σκην. v. 1072 — 1111 interp. trim. chori; comm. v. 1114 — 1177; commat. 1407 — 1566 interp. trim. et anap. actoris).

Choëphori.

Pars I, prologus, v. 1 — 21.
— II, parodus, v. 22 — 83.
— III, episodion α′, v. 84 — 584 (cont. commat. v. 152 — 163; comm. et ἀπ. σκην. v. 315 — 478).
— IV, stasimon α′, v. 585 — 652.
— V, episodion β′, v. 653 — 782.
— VI, stasimon β′, v. 783 — 837.
— VII, episodion γ′, v. 838 — 934.
— VIII, stasimon γ′, v. 935 — 972.
— IX, exodus, v. 973 — ad fin. (c. anap. fin.).

Eumenides.

Pars I, prologus, v. 1 — 63.
— II, episodion α′, v. 64 — 306 (cont. commat. v. 143 — 178; et 253 — 275).
— III, parodus, v. 321 — 396 (c. anap. init. v. 307 — 320).
— IV, episodion β′, v. 397 — 489.
— V, stasimon α′, v. 490 — 565.
— VI, episodion γ′, v. 566 — 915 (cont. commat. 778 — 880 interp. trim. act.).
— VII, stasimon β′, v. 916 — 1020 (interp. anap. act.).
— VIII, exodus, v. 1021 — ad fin. (c. anap. fin.).

Supplices.

Pars I, prologus, v. 1 — 40 (chori anap.).
— II, parodus, v. 41 — 175.
— III, episodion α′, v. 176 — 523 (cont. commat. v. 347 — 437 interp. trim. act.).
— IV, stasimon α′, v. 524 — 599.
— V, episodion β′, v. 600 — 624.
— VI, stasimon β′, v. 630 — 709 (c. anap. init. v. 625 — 629).
— VII, episodion γ′, v. 710 — 775.
— VIII, stasimon γ′, v. 776 — 824.
— IX, exodus, v. 825 — ad fin. (cont. commat. v. 825 — 835; comm. v. 836 — 908; commat. 1118 — ad fin.).

Patet ex his, tragoedias Aeschyleas Eumenidibus exceptis novenas habere partes, terna stasima, actus quinos.

Pergamus ad Sophoclem.

Ajax.

Pars I, prologus, v. 1 — 133.
— II, parodus, v. 172 — 200 (c. anap. init. v. 134 — 171).
— III, episodion α', v. 201 — 595 (cont. commat. v. 221 — 246 interp. anap. act.; ἀπ. σκην. v. 348 — 427 interp. trim.).
— IV, stasimon α', v. 596 — 645.
— V, episodion β', v. 646 — 692.
— VI, pro stasimo carmen saltatorium, v. 693 — 718.
— VII, episodion γ', v. 719 — 1184 (cont. comm. v. 866 — 960 interp. trim.).
— VIII, stasimon β', v. 1185 — 1222.
— IX, exodus, v. 1223 — ad fin. (c. anap. final.).

Electra.

Pars I, prologus, v. 1 — 85.
— II, episodion α', v. 86 — 471 (cont. comm. v. 121 — 250).
— III, parodus, v. 472 — 515.
— IV, episodion β', v. 516 — 1057 (cont. comm. v. 820 — 870).
— V, stasimon α', v. 1058 — 1097.
— VI, episodion γ', v. 1098 — 1383 (cont. ἀπ. σκην. v. 1232 — 1287 interp. trim.).
— VII, stasimon β', v. 1384 — 1397.
— VIII, exodus, v. 1398 — ad fin. (cont. commat. v. 1407 — 1441 int. trim.).

Oedipus Rex.

Pars I, prologus, v. 1 — 150.
— II, parodus, v. 151 — 215.
— III, episodion α', v. 216 — 462.
— IV, stasimon α', v. 463 — 512.
— V, episodion β', v. 513 — 862 (cont. commat. v. 649 — 697 interp. trim.).
— VI, stasimon β', v. 863 — 910.
— VII, episodion γ', v. 911 — 1085.
— VIII, stasimon γ', v. 1086 — 1109.
— IX, episodion δ', v. 1110 — 1185.
— X, stasimon δ', v. 1186 — 1222.

— XI, exodus, v. 1223 — ad fin. (cont. carm. ἀπ. σκην. v. 1307 — 1366 interp. chori trim.).

Antigone.

Pars I, prologus, v. 1 — 99.
— II, parodus, v. 100 — 161.
— III, episodion α′, v. 162 — 331.
— IV, stasimon α′, v. 332 — 375 (c. anap. final. v. 376 — 383).
— V, episodion β′, v. 384 — 581.
— VI, stasimon β′, v. 582 — 630.
— VII, episodion γ′, v. 631 — 780.
— VIII, stasimon γ′, v. 781 — 805.
— IX, episodion δ′, v. 806 — 943 (cont. ἀπ. σκην. v. 806 — 822 interp. chori anap. et jamb.).
— X, stasimon δ′, v. 944 — 987.
— XI, episodion ε′, v. 988 — 1114.
— XII, pro stasimo carm. saltator. v. 1115 — 1154.
— XIII, exodus, v. 1115 — ad fin. (cont. carm. ἀπ. σκην. v. 1261 — 1347 interp. trim. c. anap. fin.).

Oedipus Coloneus.

Pars I, prologus, v. 1 — 116.
— II, episodion α′, v. 117 — 667 (cont. commat. deinde comm. v. 117 — 253; comm. 510 — 546).
— III, parodus, v. 668 — 719.
— IV, episodion β′ v. 720 — 1043.
— V, stasimon α′, v. 1044 — 1095.
— VI, episodion γ′, v. 1096 — 1210.
— VII, stasimon β′, v. 1211 — 1248.
— VIII, episodion δ′, v. 1249 — 1555 (cont. commat. 1447 — 1499 int. trim.).
— IX, stasimon γ′, v. 1556 — 1578.
— X, exodus, v. 1579 — ad fin. (cont. comm. v. 1670 — 1751. c. anap. fin.).

Trachiniae.

Pars I, prologus, v. 1 — 93.
— II, parodus, v. 94 — 140.
— III, episodion α′, v. 141 — 204.
— IV, pro stasimo carm. saltat. v. 205 — 224.
— V, episodion β′, v. 225 — 496.

— VI, stasimon α', v. 497 — 530.
— VII, episodion γ', v. 531 — 632.
— VIII, stasimon β', v. 633 — 664.
— IX, episodion δ', v. 665 — 822.
— X, stasimon γ', v. 823 — 864.
— XI, episodion ε', v. 865 — 948 (cont. comm. v. 881 — 897).
— XII, stasimon δ', v. 949 — 972.
— XIII, exodus, v. 973 — ad fin. (cont. carm. ἀπ. σκην. v. 973 — 1045. c. anap. fin.).

Philoctetes.

Pars I, prologus, v. 1 — 134.
— II, parodus, v. 135 — 190 (interp. et adject. anap. actor.).
— III, episodion α', v. 201 — 675 (cont. comm. 201 — 218; commat. v. 391 — 402 et v. 507 — 518).
— IV, stasimon α', v. 676 — 729.
— V, episodion β', v. 730 — 826.
— VI, stasimon β', v. 827 — 864 (interp. hex. dactyl. act.).
— VII, episodion γ', v. 865 — 1408 (cont. comm. v. 1081 — 1217).
— VIII, exodus, v. 1409 — ad fin. c. anap. final.

Euripidis fabularum satis habemus membrorum numerum ac prologi et parodi fines proposuisse.

Hecuba	continet	VIII,	part.,	prologus	v. 1—58,	parodus	v. 444—483.
Orestes	—	VI,	—,	—	v. 1—70,	—	v. 310—341.
Phoenissae	—	XII,	—,	—	v. 1—85,	—	v. 209—267.
Medea	—	XII,	—,	—	v. 1—47,	—	v. 411—446.
Hippolytus	—	X,	—,	—	v. 1—57,	—	v. 121—170.
Alcestis	—	X,	—,	—	v. 1—27,	—	v. 110—133.
Andromache	—	XII,	—,	—	v. 1—55,	—	v. 117—146.
Supplices	—	VII,	—,	—	v. 1—41,	—	v. 42— 87.
Iphigen. Aul.	—	IX,	—,	—	v. 1—163,	—	v. 164—302.
Iphigen. Taur.	—	VIII,	—,	—	v. 1—66,	—	v. 393—456.
Rhesus	—	VI,	—,	—	v. 1—51,	—	v. 224—263.
Troades	—	VIII,	—,	—	v. 1—47,	—	v. 515—570.
Bacchae	—	XI,	—,	—	v. 1—63,	—	v. 64—169.
Heraclidae	—	X,	—,	—	v. 1—54,	—	v. 354—381.
Helena	—	VIII,	—,	—	v. 1—67,	—	v. 1116—1183.
Jon	—	X,	—,	—	v. 1—81,	—	v. 464—521.
Hercules fur.	—	X,	—,	—	v. 1—59,	—	v. 107—135.
Electra	—	VIII,	—,	—	v. 1—53,	—	v. 435—489.

Ad Cyclopem denique fabulam satyricam quod attinet, parodus quidem invenitur v. 41 — 81. Canebatur ea a choro saltante σίκιννιν, satyris propriam, quae maxima concitatione celeritateque excellebat (cf. Athen. XIV, pg. 630), et multi strepitus amans (cf. Cycl. v. 38) tibiarum cantui erat accomodata (cf. Athen. XIV, pg. 618). Quid autem de stasimis sententiarum gravitate tam eximiis? Non convenire ea satyrorum levitati et saltandi cupiditati èt sponte suspicari licet et illa fabula quam clarissime demonstrat. Quae enim stasima esse possunt v. 330 — 374 et v. 608 — 623 quum antistrophica compositione careant ne forma quidem stabilitatis speciem prae se ferunt, sed ei carmini sunt similia, quod in Soph. Trachin. v. 205 deprehenditur. Accedit argumenti ratio, cui nihil inest tragicae contemplationis et sapientiae, quum satyri spe, gaudio et vino expleti joca magis quam seria agitent. Nec minus commorum splendor a levi et simplici satyrorum natura est alienus, quamquum multa chorus cum actoribus colloquitur 11). Nam supra modum actionis particeps factus non cantu solemni sed trimetris maxime utitur, id quod satyrorum loquacitati est conveniens, quam Ulysses indignatur v. 476 et 674. Ex his ad eam sententiam deducimur, ut statuamus, speciem quidem canticorum generum drama satyricum a tragoedia mutuatum esse, naturam vero immutatam sibi accommodavisse.

---

11) Adhibita quoque est in illa fabula vocum distributio in singulas et plures chori personas, ita ut XV choreutarum numerus, proprius et solemnis ille choro tragico, dilucide demonstrari posse videatur. Locus insignis est a v. 664 — 668. Cyclops enim exusti oculi dolore expergefactus lamentatur, Ulyssem hoc facinus perpetrasse accusat, et caeco gressu huc illuc errans prehendere eum studet. Qua in re singulis Cyclopis enuntiatis satyri multo cum joco et cavillatione totidem sententiis respondent, quas si unius ore pronuntiatas esse statueremus, valde frigidam et jejunam rem nobis fingeremus Ubi vero eas enumeraveris, quindecim invenies, quae totidem choreutis vindicandae sunt, ne quisquam expers sit festivi negotii. Alter locus a v. 632 — 642 numerum V exhibet, qui ad singula chori juga vel ad eorum principes spectat. Ibi enim Ulyssi satyros admonenti, ut speluncam intrent et Cyclopi somno sopito oculum torre exurant, respondet coryphaeus, ut videtur, vel ejus jugum, prae ceteris ratione utens: constitue, qui primi opus aggrediantur v. 632 — 634. Quibus auditis alterum jugum vino gravatum et timidum exclamat: *ἡμεῖς μὲν ἐσμὲν μακρότεροι πρὸ τῶν θυρῶν ἑστῶτες ὠθεῖν πρὸς τὸν ὀφθαλμὸν τὸ πῦρ*, deinde tertium: *ἡμεῖς δὲ χωλοί γ᾽ ἀρτίως γεγενήμεθα*, et quartum: *ταὐτὸν πεπόνθατ᾽ ἆρ᾽ ἐμοί· τοὺς γὰρ πόδας ἑστῶτες ἐσπάσθημεν, οὐκ οἶδ᾽ ἐξ ὅτου.* Quae postquam Ulysses illudens quaestione reddidit: *ἑστῶτες ἐσπάσθητε;* quintum jugum addit: *καὶ τά γ᾽ ὄμματα μέστ᾽ ἐστὶν ἡμῶν κόνεος ἢ τέφρας ποθέν.* Quod autem libri semichoriis haec verba tribuunt, id cum alibi tum hoc loco nihil curandum est, quum non duas sed plures chori partes ea loqui appareat.

Schulnachrichten.